



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XII. Quinti Legis diuinæ pr[a]ecepti, quod est, Honora Patrem & Matrem, expositio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242



CAP. XII.

Quinti Legis diuinæ præcepti, quod est, Honora Patrem
& Matrem, expositio.

DE ordine huius præcepti supra dictum est. Consentunt enim omnes esse numero quintum: Hieron. in epist. Pauli ad Ephes. cap. 6. ver. 1. et si primum est cum promissione speciali. In secunda verò tabula primum. Nam secundum Deum sunt diligendi parentes. Inquit Philo in explicatione decalogi *οἱ ἀπολιώτερον ἀποσεμνωσῶντες τὸ γένειον ὄνομα φασίν, ὅτι πατὴρ καὶ μητὴρ ἐμφανεῖς εἰσὶ θεοῦ.* Et parentes secundum numen colendos etiam Ethnici sentiunt: Aristoxenus Pythagoræus imprimis. Vt ex eorum variis scriptis docet Sto- bæus *λόγῳ 77.*

Huius autem præcepti æquitas est triplex: Diuina, Naturalis, Politica.

Ac diuina quidem, quia quicquid iubet Deus iustum est, & hoc idcirco Paulus Ephes. 6. v. 1. ait iustum esse per se & simpliciter, quia Dei voluntati congruit & consentit. Est enim Deus ipse omnis cognationis, quæ in cælo & in terris nominatur, author, fons & principium, ait Paulus Ephes. 3. ver. 15 1. Timoth. 5. vers. 8. vbi Chrysoft. sic ait, Neque idem est proprium & alienum aspernari, sed longè maioris est criminis, notum, quàm ignotum: amicum, quàm qui non sit iunctus amicitia, spernere. Naturalis item affectus idem faciendum docet. Nam quemad-

modum omnibus non modo hominibus, sed etiam animalibus in seuit Natura siue Deus *σεργας φυσικης* erga liberos: ita metum quendam indidit liberis, & reuerentiam erga parentes, Rom. 1. vers. 31. 1. Timoth. 5. vers. 8. Voto enim naturæ thesaurizant liberis suis parentes, 2. Corinth. 12. vers. 14: ita ductu monitūque naturæ filij ad patres honorandos instruuntur, *δαιμν γὰρ ἡ κτλὰ γένει ὅψις ἐστὶ τέκνοις*. Est enim semper sancta facies & honoranda patrum liberis, nisi omnem naturæ sensum exuerint. Itaque Absalom quanquam perditus, tamen iratum patrem ferre non potuit, 2. Sam. 14. vers. 32. Eccles. 7. versu 29, & 30. Itaq; contra parricidas legē non scripsit Solon, vt scribit M. Tull. Pro Roscio Amerino, quod tantum scelus in cuiusquam animum cadere nō posse existimaret. Et quod scribit Tertullian. lib. 1. aduers. Marcion. Ponticos homines patrū defunctorum corpora in conuiujs esitauisse, honori & cultui parentum tribuebatur, quasi filiorum ventres essent: honestissima parentum sepulchra.

Politica æquitas ex eo apparet. Quod oportet rerum omnium, ordinum, Magistratum cōfusionem sequi, si non in metu & potestate parentum liberi retineantur. Itaque omniū populorum legibus hoc præceptū scitum est & probatum, & ingrati actio constituta est parentibus contra liberos, vt Atticis legibus: & potestas iisdem data ingratorum liberorum exheredandorum. Laudat Romulum Halicarnass. lib. 2. *ἀρχαιολογίαις*, quod patri in filios per totam vitam potestatem dedit.

Duo obstant. Primò, Quòd obiicitur ex Mat.
10. vers. 37. Luc. 14. vers. 27. propter Christum odio habendos esse parentes.

Ergo videtur hoc præceptum noua Lege. i. Euangelio esse antiquatum, & ait Hieronym. ad Heliodor. per calcatum perge patrem, ad vexilla crucis euola. Hoc cum peruersè intellexissent Monachi in ingressu monasterij, & aditu professionis suæ suis parētibus, honorem quem deferre iubemur, adimunt. Resp. Hoc non simpliciter dictum esse, neque absolute: sed *relatiuè* & per comparisonem. Potior enim est Dei quam parentum causa, vt ait Ambros. in Lucam Verum est: ac sic Thomas ipse soluit. 2. 2^a. quest. 101. Non vult Christus intuitu religionis debitum parentibus honorem subtrahi. Sunt enim religio & pietas, duæ virtutes: vna igitur alteri non est contraria. Ambr. sermo 15. & in Psal. 119.

Alterum est, quod obiici potest ex Mat. 23. v. 9. In terris neminem esse patrem appellandum. Vnus est enim Pater qui est in cælis. & huic conuenit quod scribit Paulus, 1. Corinth. 8. vers. 6. Ephes. 4. vers. 6. Respon. Patris nomen illic non ad ordinem rationemque naturæ & ortus nostri referri: sed ad fiduciæ nostræ & vitæ fontem, & fundamentum. Est autem sic vnus Deus, Pater, & is quidē cælestis, non autē sic homines. Nam ordine rationeque generationis, ij ex quibus procreati sumus, tantum Patres appellatur, idque etiam teste scriptura, vt hîc, & infinitis penè alijs locis, & Hebr. 12. vers. 9. appellantur Πατέρες οὐρανοῦ, à quibus tamen, vt à Deo, pendere non debemus.

Quæsitum est, Cùm plures sint cognationis gradus, multaque eorum genera, quibus plus aliquid debemus, quàm quod in vniuersum omnibus hominibus: Cur de hoc potissimum cognationis & charitatis arctioris gradu & genere meminit lex. Respond. Quod cùm difficile admodum aliis subiiciantur homines, & iis quibus tamen debent (quod fieri iubet hoc præceptum) In eo potissimum gradu insistendum fuit, & homines fuerunt prouocandi ex eo officij genere, ad quod se maximè atque æquissimè adtingi fatentur, & sentiunt, natura ipsa docente, & impellente. Et quanquam his duobus hominum generibus maximè natura conciliatur, Sanguine coniunctis, &, Probitate aliqua insignibus, tamen maior est, & constantior ea coniunctio, quæ nobis sanguine conciliatur, quàm ea quæ probitate & virtute contrahitur. Etsi sentit aliud Philo in exposit. generali, *συγγνωστα γὰρ, ἢ ἰσχυροτέρῃ τῆς πρὸς αἷμα, ἢ πρὸς δικαιοσύνην, ἢ πᾶσαν ἄλλω ἀρετῇ ὁμιλία.* Sed Thomas & contra scribit & nobiscum facit in 2. 2æ. quæst. 26. artic. 7.

Denique quæsitum est, Num hoc præceptum ius naturæ violet & tollat. Est enim libertas naturalis: at seruitus cõtra naturam. Omnes enim natura expetunt esse liberi. Et in §. Ius autem gentium. De Iure naturæ gentium. & Ciuil. dicitur seruitus esse contraria Iuri naturali. At tamen seruitutem quandam inducit hoc caput. Ergo videtur ius naturæ conuellere. Sic enim in locis communibus sentit Philippus, hoc capite legis constitutum esse ius seruitutum, & omnes

omnes homines quodammodo fieri seruos, atque illud confirmari, quod scribit Aristoteles lib. 1. Politicorum quosdam natura esse seruos. At ait August. lib. 19. de Ciuit. Dei. cap. 15. hominem rationalem factum à Deo, qui solis irrationalibus dominaretur. Itaque noluit, ait, Dominus hominem homini dominari, sed hominem pecori. de quo ipso vide Basil. de Spiritu sancto cap. 20. Resp. Aliud esse tollere naturalem libertatem: aliud tollere licentiam effrænam. Hoc præceptum libertatem quidem relinquit, cui cum storgis naturalibus rectè conuenit. At illam effrænatam animi omne iugum excutientis *ἀνεξία*, quæ peccati maximus est fructus, tollit. Quidam enim neque Deo, neque hominibus vllis subiici se volunt, aut patiuntur, quæ res licentia est, non libertas. Itaque grauitè reprehendi atq; redargui possunt Anabaptistæ hoc præcepto. Quod autem aiunt, Homines ita cõditos à Deo, vt pecoribus, non vt hominibus imperarent: hoc autem præceptum aliud suadere. Respon. August. lib. 19. De Ciuit. Dei. cap. 15. & 16. propter hominis peccatum id fieri, vt quidam aliis subiiciantur: Vt autem parentibus, etiam sine peccato id fieri æquum fuit. Nam & Deo subiici fuit iustum etiam ante peccatum, & sapientioribus. Vide Durandum in lib. 2. Sentent. Distinct. 44. quæst. 2. & Basilium lib. De Spiritu sancto cap. 20. Gregorius Magnus ita scribit in Pastoralibus: Omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa enim diuersitas, quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur, vt

Respon. Distinguendum esse quo in loco & qua de re agatur. In iis quæ ad magistratus sui munus pertinent, atque eo in loco, vbi pro magistratu filius agnoscendus est, cedere debet pater, atque honorem filio deferre non quatenus filius: sed qua magistratus est. Sic Fabius Maximus docuit, sic Asa matrem deposuit. Extra hanc circumstantiam, & in priuatis ædibus & negotiis, debet filius patri cedere, illi assurgere, se hominem illiusque partem & partem agnoscere. De quo vide A. Gell. Noct. Atticar. libro 2. capite 2.

Obedientia siue obsequium est paterni mandati præstatio & executio, quæ fit à filio quatenus in eo positum est, Ephes. 6. vers. 1. Coloss. 3. v. 20. sic enim Paulus interpretatur Honorare, id est, *πῶν* esse *ὑπακούειν*.

Quæsitum est vtrum in omnibus sit parèdum & obsequendum parètibus, & videtur Coloss. 3. v. 20. *ὅτι πάντα*, vt ait Paulus. Sed & diuina & naturalis ratio aliud docere videntur. Ac diuina Matth. 10. vers. 37. Naturalis etiam, quod ethnici homines scribunt non per omnia parètibus obsequendum. Musonij de ea re præclara disputatio extat apud Stobæ. ser. 77. Sed respondet Paulus Ephes. 6. vers. 1. *ἐν κυρίῳ* parendum iis esse, id est, eatenus, quatenus Deo suus honor saluus & incolumis manet, & vide A. Gell. lib. 2. Noc. Atticar. cap. 7.

Tertia verò significatio *Honoris* est gratitudo. Est autem necessitatis egestatisque eorum subleuatio siue re siue opera siue consilio nostro egeant. Quæ res debetur à liberis parenti-

bus. Matth. 15. & Ecclef. 3. verfu 14. & à fubditis magiftratibus, vt eft Nehem. 5. ver. 15. & à grege pafcoribus fuis. 1. Corinth. 9. Paulus ipfe. 1. Tim. 5. ver. 4. & ita Thomas quoque interpretatur in 2. 2^a. quæft. 10.

Neque obftat quod fcribit Paulus 2. Corint. 12. ver. 14. Patres thefaurizare filiis, non contrà. Voto enim nature bona parentum debentur filiis, & illud verum eft, Ordine turbato fuccedis Bulgare nato. Refpon. Per fe quidem ita eft, & à parentibus fere aluntur filij. 1. Alimentat. C. De negot. gef. non contrà. & Ephes. 6. ver. 4. Sape tamen contingit vt auxilio opibusque liberorum egeant parentes. Quod officium non eft à liberis parentibus denegandum, fed præftandū. Et inquit Scholaftici, Cultus quidem per fe debetur à liberis parentibus: officium autem & fuffentatio per accidens, Nimirum fi parentes egeant, id quod effe verum docet etiam ratio. Quid enim eft æquius, quàm parentibus ἀντιμίτεια, ἀντιμίθια & ἀμοιβή, id eft, mercedem educationis & maternæ curæ rependi, vt ait Hefiodus libro 1. Ἔργ. ἢ Ἡμέρ. Et id effe faciendum etiam brutorū animalium exemplo docemur. Sunt exempla Ciconiarum nota, quæ fenes parentes subuehunt humeris ad pafum, & alunt. Vnde πελαργικοὶ νόμοι appellantur: & Nota eft etiam illa hiftoria valdè que laudata de filia, quæ propriis vberibus matrem in carcere aluit, de qua eft videndus Valer. Max. lib. 5. cap. 4. & Cimonis Athenienfis pietas in patrem eft celeberrima, valdè que imitabilis. Contrà verò Abfalonis impietas & pœna valdè miferà & damnata.

Quæfti

Quæstionem est utrum seruilis ministeriū præstare debeant liberi parentibus, qualia sunt lectum sternere, pedes lauare, ministrâtes iis astare, humeris subuehere, ægrotis adesse. Nā operarum aiunt Iurifcon. in tit. de iure patronat. D. alia sunt seruiles, alia sunt officiales. i. officij gratiâ præstantur, uti salutare, deducere è foro domum. Respon. Ea quoque officiorum & operarum genera à liberis parentibus deberi. Nam si frater fratri id debet, multo magis & patri. Ammoni fratri soror Thamar eas operas exhibuit. 2. Samuel 13. Et idem sentit quoque Hierocles in libro Quomodo erga parentes agendum sit, φέρει δ' ὅτι τινὲς ἐπιμυθίαν αὐτοῖς ἢ τὸ ἴδιον δειλοτέρων ὑποπρατημάτων ἀπ' ἑαυτῶν τῆς παιδείας, ὡς ἐκ τῆς πύδας ὑποπνίξαι, &c. Stobæ. λόγῳ 77.

id est

Affert autem consolationem liberis, si seruilia etiam ministeria parentibus suis exhibeant, veluti si eorum pedes lauent.

Et nota sunt exēpla de Catanæis siue de Æt-næis fratribus, de Cleobe & Bitone fratribus subuehentibus & trahētibus matrem curru, instar equorum. Valer. lib. 5. cap. 4. & Plin. libro 7. Hist. Natura. item de Ænea euchente patrem. Licuit iure ciuili patribus filios tempore famis vendere. l. fin. C. lib. 4. de iis rebus quas distrah. licet, & iure quoque Hebræo, Exod. 21. v. 7. Romulus id sanxit, ut Dionys. Halicar. docet lib. 2. ἀρχαιολογίας.

Et cum idem nobis prius præstiterint parentes in τεκνογονία. 1. Timoth. 2. versu 15. Nil mirum si dicamus eadem illis deberi. Nam, ut inquit

Cap. II. ETHIC. CHRIST.

Philo, Oportet homines *ἐνίων θήριον ἐθ' μιμητὰς*
& τὰς ὠφελικότας αὐτῶφελείν.

Sequitur *Patrem & Matrem*, in quo primum
quæritur, cur vtriusque meminit lex. Nam fa-
tis sub masculino fœmininum concipi posse
videbatur. Respon. Duplex est ratio, confue-
tudo quidem, & lex. Ac hominum hæc confue-
tudo fere est, vt quemadmodum ait Euripides,

— ἐ δ' ἄν εἰς ἀνὴρ
γονιμὸς αὐδύσειεν, ἀλλὰ τὴ πατρὸς.

id est,

nemo iactat gloriaturve, qua matre natus sit,
sed quo patre.

Lex verò, quia ita vulgo omnium populorum
legibus sancitum est, vt fœminarum quàm viro-
rum in multis sit deterior conditio. Itaque &
vilior censetur matrum cōditio quàm patrum,
& non habent matres liberos in sua potestate,
sed habent patres: neque eos ex suo cognomi-
ne & familia denominant, neque iis nobilitatem
pariunt, sed soli patres. Sed tamen Deus vtrun-
que honorandum disertè docet, ne propter ius
illud dispar, vni tātum nimirum patri officium
deberi censeretur, atque negligerentur matres:
itaque Prouerb. 23. versu 22, 10. versu 1. 15. versu
20. 17. versu 25. Vtriusque, patris & matris, diser-
tè fit mentio, quia in procreandis liberis & e-
ducandis vtriusque & labor interuenit, & mini-
sterium.

Quæsitum est, vtrum par honor vtrique de-
beatur, patri & matri: & videtur mater plus ef-
se diligenda, quia & ipsa plus diligit, vt ait Ari-
stoteles libro 8. ἠθικ. Νικομαχ. Agnoscit enim
partum

partum velut partem viscerum suorum, & in generatione videtur sola corpus dare, atque in educatione prima plus laborat ipsa, nimirum usque ad tres annos. Respon. Tamen Scholastici & Hieron. in Ezechiel. plus scilicet esse diligendum patrem, quia magis ad Deum accedit. Si de iure civili quaeritur, potiora sunt iura patris: si de diuino aut naturali, nihil plus patri tribui videtur quam matri. Vide tamen Thom. in 2. 2. quaest. 26. Nam scriptura semper vtrunque parentem coniungit. Deut. 21. vers. 28.

Quaeritur est vtrum parentes etiam viliores debeant liberi honorare ipsi honestioris conditionis ampliorisque fortunæ. Respon. Debere, vti scriptum est Eccles. 23. versu 18. & 19. Prouerb. 23. vers. 22.

Quaeritur est, Qui patris matrisve nomine significantur hoc loco. Et quia ex parte totum colligendum est, ad solas eorum personas non est restringenda significatio, qui nos ipsi procreauerunt, sed est latius extendenda. Itaque aiunt Iurisperiti eos omnes comprehendere, qui parentum nuncupatione continentur. Hoc scriptum est à Constantino in l. vni C. libro 9. titul. 17. de iis qui parentes vel liberos occiderunt, & in §. Alia deinde lex De public. iudic. in Institutio. Parentum autem appellatione continentur omnes, qui sunt in recta linea ascendente usque ad Tritauum, ait Paul. in l. Iurisperitus. D. de gradib. affinit. Ergo ultra tritauum non erunt honorandi parentes. Aliud tamen sentiendum est. Nam patris matrisve significatio hoc loco est latissima, & ad 4. hominum genera pertinet. Nempe

z. ij.

ad eos qui sunt vel patres Natura siue adoptio-
ne, vt omnes Cognati, consanguinei, patria ipsa
vel Dignitate, vt Principes, Domini, Magistri:
vel Ætate, vt Senes omnes: vel Beneficio, vt Be-
nefactores animorum & corporum: & ita ex-
plicat doctissimè Cal. imprimisque in Harmo-
nia Mosis, atque etiam Phil. Iudæ. expos. gene-
rali Decalogi his verbis, Πέμπτον τὸ πρὸς γονεῖν τὸ
πρῶτον πολλὰς ἢ ἀναγκάσιους νόμους ἐπαίνειται τοὺς ἐπὶ
πρεσβύταις ἢ νεοῖς ἀναγραφέντας, τοὺς ἐφ' ἀρχῆσι ἢ
ἐσθλοῖς, τοὺς ἐφ' ἀεργέταις ἢ ἀπειθοῦσιν, τοὺς ἐπὶ δου-
λοῖς ἢ δεσπόταις.

id est,

Quintum præceptum legis, quod est de pa-
rentibus honorandis, multas & necessarias alias
leges comprehendit, quales quæ de senibus &
iuuenibus scriptæ sunt, de Magistratibus & sub-
ditis, de Benefactoribus & beneficiariis, deni-
que de Seruis & Dominis.

† Ac natura ipsa parentes sunt Pater, Mater, &
quicumque in superiori ascendenti recta linea
sunt omnes in infinitum: in obliqua verò linea
collaterali, quæ parentum loco habentur: velut
Auunculus, Patruus, Amita, Matertera, & reli-
quæ personæ, de quibus Leuit. 18. versu 6. & se-
quen. Ergo quod ait Critolaus in Aurcis cat-
minibus.

Τέσε γονεῖς πῶμα, τέσε ἐγγλε' ἐκχεαῖταις,

id est,

Honora parentes, & qui tibi sunt sanguine
coniuncti.

Non referendum est ad propinquos tantum
cognitionis consanguinitatisque gradu: sed ad
omnes

omnes etiam remotissimos.

Sed & fratres, & quicumque ex ea stirpe nascuntur & oriuntur, continentur hoc præcepto, ergo sunt fratres amandi. Ambros. sermo. 15. in Psal. 119. & Ouid.

Cum tibi sint fratres, fratres vult scire lesos,

Cumque pater tibi sit, iura tuere patris.

Ergo charitas propinquorum & domesticorum omnis hoc præcepto continetur. Sed etiam Amici nobis hoc præcepto commendantur cum quibus nobis est specialior necessitudo, & familiaritas contracta ut est Prover. 18. v. 24. Est enim charitas mater amicitiarum. Bernard. ait, vicissimque amicitia est nectâr, & optimus fructus Christianæ charitatis.

Quæsitum est de Ciuitate, & de Patria vtrum diligere debeat, & videtur homini Christiano nullam esse patriam constituendam in hoc mundo, quia cœlestes ciues sumus, non terreni. Ephes. 2. versu 19. Nam cum hîc non habeamus permanentem ciuitatem. Heb. 13. versu 14. certè neque patriam hîc habemus, ut idem Apost. ad Hebr. II. versu 14. docet exemplo patrum. Idem dixit Ouid. lib. I. de fastis.

Omne solum sorti patria est, ut piscibus æquor.

Ut vacuo volucris quicquid in orbe patet.

Et dicebat Socrates se esse ciuem mundanum. patria enim est, dixit Teucer, vbicumque est bene. Respon. Cum iura diuina non tollant iura naturalia, omnisque cognationis author sit dominus. Ephes. 3. vers. 15. & diligendam quoque esse ciuitatem & patriam, in qua nati sumus, educati, & adoleuimus, idque etiâ piorum exemplo. Nam

Hieremias testatur se diligere patriam. Hier. 28. v. 6. & fortes fuisse commemorantur, qui pro patria constantissime dimicant, 2. Sam. 23. versu 8. & seq. & nota est omnium populorum, philosophorum, & hominum de ea re vox. Patriam enim omnium cognationum, omniumque societatis fundamentum putant & collocant. Eurip. in Phoeniss.

ἔν ἐστὶ τῆς πατρίδος ἡ πόλις ἡμετέρας
 Hoc confirmatur 2. Samuel 10. versu 12. Neh. 4. versu 14. Et exemplo Nehemiae, qui pro patria mirè afficiebatur, ut apparet Neh. 1. & 2. quam specialis quaedam ratio in Hierusalem, quæ fuit ciuitas illa sancta, fuisse videri potest. Ambrosius lib. 1. De officiis, Fortitudo, quæ bello tuetur à Barbaris patriam, vel domum defendit infirmos, vel à latronibus socios plena iustitia est.

Sed quæritur, Quantū debeatur patriæ, quantumque sit diligenda. & Tull. lib. 3. De bonor. & malorum finib. ait plus quàm nos ipsos diligendam. itaque *ἀνδρεία* virtus est appellata à Philosophis ea, quæ facit ut pro patria fortissime dimicantes moriamur, aitque August. Maior est patria & ipsis parentibus tuis, in sermo. de Verb. Euangelij.

Vicit amor Patriæ, laudumque arrepta cupido.

& illud Homeri, *οὐδὲν ἄριστον ἀνδρῶν ἢ πατρίδα*
 Sed vtrum rectè se quidam pro patria deuoverint, ut Decij, maior quæstio est & difficilior, quæ ex variarum circumstantiarum ratione potius diffiniri debet, quàm ex vniuerso genere quæstionis.

Sequi-

Sequitur secundum caput, quod sanctionis & promissionis explicationem continet. Est enim hoc præceptum primum in promissione particulari uti diximus, Ephes. 6. vers. 1. Ac primum quæritur.

Cur addita sit Promissio cum natura ipsa doceamur parentes esse honorandos, eiusque monitu & instinctu ad id impellamur. Nam ut ait Valer. Max. lib. 5. cap. 4. Prima lex naturæ est diligere parentes, & Pisidæ libant parentibus suis tanquam diis. Resp. Duplici de causa additam esse promissionem, 1. ut adhuc magis ad illud obsequium incitarentur homines, atque ita tanquam per gradus ad alia obsequia prouocarentur, veluti & qualia sunt ea quæ magistratibus debentur, ad quæ coactè admodum se demittunt homines. 2. ut esset etiam velut quoddam fœderis diuini signum. Nam & eius terræ facta est mētio, quam velut sacramentum cœli, & fœderis sui dabat Dominus. De Xanthippo verò filio Periclis ut patrem accusans peste obierit, vide Plutarch. in vita Periclis.

Promissio verò hæc est aptissima, ut qui colit & honorat sui ortus instrumenta, diuturna vita potiat, ortusque sui & vitæ fructum & usuram quam diutissime percipiat, ac ita quoque æquum esse fieri dixerunt homines profani & ethnici poetæ, ut Hom. vide Eras. in parœmia *πελαρικοί νόμοι.*

Quod autem Chrysof. & Theophylact. in epist. Pauli ad Ephes. 6. vers. 1. annotant hanc promissionem pertinere ad adolescentes liberos, qui diu & suauiter viuere cupiunt, falsum est, etsi

z.iiij.

probat Erasmus. Ad omnes enim liberos pertinet etiam senes. Sed obiicitur, Cum sit vita hæc humana ærumnis plena. Job. 7. & 14. Genes. 47. versu. 9. 1. Corinth. 15. vers. 31. & variis telis & incommodis obnoxia, non videri hinc quicquã felix aut beatum promitti, sed potius calamitosum & infelix. Resp. Non modò vitam, & lucis huius vsuram diurnam promitti, sed & prosperitatem illi adiungi. Deuteron. 5. vers. 16. Præterea ipsa quoque vita humana, si per se spectetur, est pulcherrimum Dei donum. 1. Quia qui nunquam extiterunt aut fuerunt, operum Dei spectatores, testes, aut fructuarij nunquam fuerunt. Et per se vita ab Ecclesiaste præfertur morti. Eccles. 7. versu. 2. 2. Quia omnes hæc miseriæ & ærumnæ, quas patimur, spem tamen aut gustum immortalis illius beatitudinis adimere aut extinguere non possunt. Rom. 8. v. 18. Tertia ratio est, ad eã immortalitatem assequendã primus gradus est hæc vita terrena, quia qui nunquam fuerunt aut vixerunt, beati esse aut fieri non possunt. Nam non entis nullæ sunt qualitates. Quod enim obiicitur de illis ærumnis, illæ non ex ipsa vitæ natura ortæ sunt, sed ex peccato. Genes. 3. itaque sunt accidens ad vitam, ex accidente verò rei natura spectari non debet.

Queritur, vtrum semper ita fieri appareat, vt qui obsequuntur parentibus, sint vitæ diuturnioris & longioris in his terris. Respon. Non semper, sed eatenus, quatenus dominus ipse iis ipsis expedire videt. Prospicit enim nobis melius quàm nos ipsi & plus videt. Et cum sit animorum pater, datorque cœlestis vitæ, vti & hu-

ius ter-

ius terrenæ, quando salutis nostræ conferre ipse sapientiss. iudicat, vt hinc migremus, euocat. Conducit autem sæpe, 1. Ne corrupamur cum cæteris si hic diutius viuamus. 2. Ne futuras ærumnas & calamitates, quas ipse impedere solet, sentiamus: sic Godolias ereptus est. idémque I-saiæ 57. v. 1. 2. 3. dicitur.

Neque verò propterea fallit Dominus filios obsequentes & morigeros parentibus, quum iis vitam hanc temporalem adimit. Facit enim vt cælestem longèque beatiorè illi habeant, itaq; commutat potius terrenam promissam cum cælestibus, caduca cum immortalibus, & *χαλκῆα χρυσίου*, vt est in prouerbio.

Quid igitur de immorigeris & ingratis liberis statuendum? Fore vt à Deo puniatur, & in hac vita si non breuitate, certè infamia, variis ærumnis & doloribus & cruciatibus, vt dicitur etiam Prouerb. 30. vers. 17. à feris bestiis, & in futura vita. Nam quoq; filius qui maledicit patri citò morietur, Prouerb. 20. vers. 26, & 23. vers. 22. Exemplo est Absalom & eius ignominiosa mors, 2. Samuel 18. vers. 9. Exemplo est Cham irridens patrem Noachum, ab eo maledictus, Gen. 9.

Ac quidem legibus politicis Iudæorū, mors statuta est in filios, qui patri vel matri maledicunt, iisq; & faciunt conuitiū, vel qui iis sunt Iniuri, Ingrati & Immorigeri, Exod. 21. v. 15. & 17. Deuter. 27. v. 16. Leuit. 20. ver. 9. quod iudicium quemadmodum exercebatur expositum est, Deut. 21. v. 28. & seq.

Cæterorum populorum legibus velut Atheniens. Ingrati actio, vel potius accusatio con-

stituta est in liberos ingratos erga parentes. Et extant leges Platonis lib. 11. de legib. Aristotelis sententiæ in Ethicis præclaræ, dictū quoq; Pampeii Pythagorici, *γονέων ἀμελεῖν ἕτε δαίμων, ἕτε ἀδράπος σύμβολος ἀμφοτε ἧροιστό πνε, σύμμετεςν ψυχῆς κερτιμῆος ὀπισάμαν.* id est, Parentes negligere, neque daemon neque homo quisquam vnquam suaferit, qui modò cognitione vlla hominis digna præditus sit. Et ait Iustin. Hist. lib. 16. Quamquam parricidio nulla satis iusta causa ad sceleris patrociniū prætexi potest. & 1. Timoth. 1. 9. *Πατερες λῆται* isti dicuntur.

Romanorum legibus & ingrati actio constituta est Tot. tit. Cod. & Lex Põpæia specialiter scripta sancitâque in parricidas, qui more maiorum primùm seueriss. nouóque genere mortis & atrocissimo puniebâtur. i. infuti culleo vnâ cum vipera & gallo gallinaceo in mare proiciebantur, vt est in l. penult. D. ad l. Pompeiam, de Parricid. Postea autem cæperunt puniri lege Cornelia de Sicariis, l. j. D. ad l. Pompeiam de Parricid. Videndus est Cælius Rhodiginus lib. 6. Læctio. Antiquar. cap. 43. Et puniuntur siue ipsi occiderint, siue venenum emerint, siue conscij fuerint: sed & medicus quoque qui venenum miscuit. l. ij. D. cod. punitur.

Sed quæsitum est, Vtrum hæc promissio ad nos pertineat. Et non videtur, quando ea promissione caremus, quæ de terra sancta olim facta fuerat. Respon. Eatenus quidem non potest ad nos ex ipsa verborum propria significatione pertinere hæc promissio. Pertinet autem quatenus vbicunque gentium sumus, Domini est

est terra, Pſal. 24. & Pſal. 115. & quocunq; in lo-
co ſedem habeamus, Dei munus eſt erga nos,
Pſal. 107. verſ. 36. Eccl. 40. verſ. 19. & quemad-
modum colligi poteſt ex Prouerb. 11. verſu 10.
Ciuitatis domiciliiq; conſtitutio felicitas eſt
à Deo.

Veniamus ad reliquas huius vocis *Pater* &
Mater, ſignificationes vt ex parte totum colli-
gamus.

Secundum igitur ſignificatum eos omnes cõ-
plectitur, qui dignitate ſunt patres,

Quales ſunt } 1 Principes & ab iis delegati
Magiſtratus.
2 Mariti.
3 Domini.
4 Magiſtri in quaque arte.

Ex quo apparet omnia tum Oeconomica,
tum etiam Politica præcepta ad hoc caput Le-
gis referri oportere, qualia ſunt ea quæ docent
cuiusmodi ſunt & qualia ſubditorum officia, er-
ga Magiſtratus, cõtrãque qualia Magiſtratum
officia erga ſubditos. Quale officium vxoris er-
ga maritum, & mariti erga vxorem: ſerui erga
dominum, & domini erga ſeruum. Denique di-
ſcipuli erga magiſtrum, & cõtrã magiſtri erga
diſcipulum, quorum omnium authoritas hoc
præcepto ſancitur, & de quibus Paul. Ephes. 5.
& 6. & Coloff. 3. & 4. Tit. 2. & 1. Pet. 2. & 3. 1. Ioã.
2. Exod. 26. v. 28. Deut. 16. v. 18.

Denique quæcunq; à Iuriſconſultis de ſta-
tu perſonarũ traduntur, ex hoc fonte orta ſunt,
hoc capite confirmantur, & reuocari ad illud
debent. Sed & omnia præcepta de iuſtitia di-

s tributiuā.

Sed duo hominum genera hanc interpretationem conuellunt & oppugnant, Anabaptista & Papista. Anabaptistarū error Donatistarum hærescos riuulus fuit, contra quam August. variè & copiosè. Illi Magistratum auctoritatem infringebant, & tollebant, & varias persecutiones ab iis contra Dei Ecclesiam factas recensebant, & illud dictum Pauli 1. Corinth. 2. v. 8. eos crucifixisse Christum Dominum gloriæ, & hodie adhuc in membris suis crucifigere, vel persequi, vt docet Iacob. 2. v. 6. Sed respondet August. quod M. Tull. lib. 3. de legib. cū de Tribunita potestate agit. Iniqua, inquit Tullius, in omni re accusanda, prætermisissis bonis malorum enumeratio, vitiorūque selectio. Fuerunt enim quidam optimi Principes, quorum opera sustentata, recreata, atque adeo restituta est Dei Ecclesia, qualis Dauid, Ezechias, Iosias: & si quæ in quibusdam Magistratibus insunt vitia, sunt hominum, non ipsius potestatis vitia.

Anabaptistis idem responderi solet. Negant enim illi Magistratus auctoritatem inter Christianos spiritualésque homines, quos veritas ipsa nempe Christus liberos fecit, esse aliquam, aut illius vsum extare. Sed apertissime iam Christus ipse respondit iis, Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, Matth. 22. v. 21. Ergo quædam sunt Cæsaris, ait August. & Paulus quoque Anabaptistis aduersatur, Roman. 13. 1. Timoth. 2. & Petrus, 1. Petr. 2. vers. 17. Tit. 3. 1.

Papista quoq; conuellunt, qui in Ecclesia Dei duo hominum genera constituunt, Clericos & Laicos.

Laicos. Item, Regulares & Seculares. Regulares igitur & Clericos (imprimis autem Pontificem Rom.) à Secularium & Laicorum Iudicium & Magistratum potestate, foro & iurisdictione eximunt Tot. cano. Nullus Iudicium vel potius. II. quæst. I. per totum, & cano. generaliter. 16. quæst. I. Et quum affertur quod ait Petrus, 1. Pet. 2. vers. 13. Subditi estote cuius creaturæ siue Regi, siue præsidibus & legatis ab eo missis. Resp. sophistæ, In præcipientis sermone non contineri personam loquentis, nimirum ipsius Petri, neque aliorum Apostolorum. Ergo Roman. Pontificem Magistratibus non subiici, sed ne Imperatori quidem. ita vafer ille & argutus Innocent. olim ad Constantinop. Imperator. rescripsit, soluitque, vt apparet, extatque scriptum in cap. Solitæ. Ext. De Maiorit. & Obedient. Afferunt autem pro se, quod Imperat. Valentinian. dixit Episcopis, vt eum eligerent cui ipse colla sua summitteret, vt est scriptum lib. 7. Tripart. histor. cap. 8. & Theodorit. lib. 4. commemorat: sed ea subiectio intelligitur quatenus nimirum de animarum & cōscientiæ salute queritur & agitur. Nam in iis quæ ad doctrinam pertinent etiã Imperator, velut ouis Christi & membrum Ecclesiæ, Pastori suo subiicitur, & Ministro verbi Dei. In iis autem quæ ad ciuilem administrationem spectant, Pastor vt ciuis, politico & communi Magistratui subiicitur.

Nos igitur de Magistratum potestate & auctoritate hoc loco agamus. Ac primùm quidẽ, quidã plus, id est, nimium Principibus tribuunt. Quidam minus. Ergo certi fines ciuilis iurisdic-

tionis constituendi sunt ex Dei verbo. Nam non sunt omnia Cæsaris, quando dixit Christus, Reddite quæ sunt Dei Deo, Matth. 22. Et iubet Petrus, 1. Pet. 2. vers. 17. Non modò Regem honorari, sed & Deũ timeri, quod est maius. Et vera est illa sententia Apostolorum, potius obsequendum esse Deo, quàm hominibus, Actor. 4. vers. 19. Ergo non est absoluta Magistratus potestas, sed certos fines & limites habet, quos egredi non debet.

Ac primum quidem sunt illæ hominum voces & sententiæ adulationis plenę in Principes, Quod Principi placuit legis habet vigore: falsumque quod est scriptum in *1. Act. 17.* D. Ad Rhodiam, De iactis: Imperatorem omnium, quæ sunt in terra, Dominum: legem autem eorum quæ sunt in aquis magistram, & moderatricem esse. Item falsum est. Duplicem esse Regum potestatem: Vnam quidem liberam & quam vocant absolutam, quæ nullis nisi propriæ voluntatis frænibus coerceatur. Alteram autem civilem, quę intra legum fines se coerceat. Nulla est enim Regum voluntas tam libera. Hęc enim solius est Dei propria, vt præclare docetur in lib. De Iure Magistrat. Plutarch. in Demetrio damnat hoc plebiscitum Atheniens. vt quicquid rex Demetrius iussisset, illud & apud Deos fas, & apud homines ius esset: item ius esse quod vtile Spartz. Nam non omne quod libet, licet: ite non omne quod licet, statim expedit Bernard. epist. 25. Sed etiam illud quod Iurisperiti scribunt, seuerius est, si quis Principis statuas conuauerit, vel in eius statuam lapidem iactauerit, teneri lege
Iulia

Iulia Maieſtatis. l. Famofa. & l. Non contrahit. D.
Ad l. Iul. Maieſtat. Eſt quidem Princeps & ab-
ſens & præſens honorandus, ſed huiusmodi lex
ex Imperatorum & tyrannorum Roma. Tybe-
rij, Caligule, Neronis edictis ſumpta eſt, etſi im-
punitus non eſt dimittendus, qui iſta per con-
temptum Magiſtratus fecit.

Qui ſunt igitur poteſtatis ciuilis fines? Intel-
ligi ex hac diſtinctione facile poteſt.

Rerum aliarum } Salutis animarum noſtrarum cauſas
& præcepta continent.
} Vitæ huius & Humanæ ſocieta-
tis tranquille conſeruandæ modum & rationem
præſcribunt. i. Timoth. 2. v. 2.

Quæ ad animarum noſtrarum ſalutem, & il-
lius cauſas, præcepta, & modum aſſequendæ per-
tinent, ex nullius Magiſtratus legibus, & ſan-
ctione pendent, ſed ex ſolius Dei verbo. Eſt e-
nim Deus animarum noſtrarum, & creator, & pa-
ter, & ſolus cuſtos. 1. Pet. 4. 19. 2. v. 25. Fruſtra me-
colunt homines, ait Chriſtus, docentes doctri-
nas præcepta hominum, Matth. 15. verſ. 9. Et hæc
ſunt verè Dei ſolius propria.

Cætera verò quæ ad vitæ huius tranquillita-
tem & pacem pertinēt, ſunt propria ciuilis Ma-
giſtratus & poteſtatis. Quæ edicere debet, &
prudenti conſilio ſtatuerè & moderari: Et iis e-
dictis omnes parere debent, Rom. 13.

Sed quæritur ſi ea quæ iubet, verbo Dei ad-
uerſantur. Reſpond. Potius obediendum eſt
Deo quàm hominibus. Act. 4. verſ. 19. Eſt e-
nim Deus ſummus Magiſtratus, & omnis digni-
tatis fons, & author, & eatenus homines ſunt

Magistratus, quatenus Dominus iis ex parte sua potestatem delegauit. Sic Ego dixi dii estis, Psal. 82. ex Coloss. 1. Prouerb. 8. 15. Ioan. 19. 11. explicandum.

¶ Sed quæsitum est, si est infidelis vtrum illi parendum sit à Dei Ecclesia. Et quando non distinguit Scriptura: & vixerunt Apostoli sub infidelibus Principibus, qui iubent fideles & pios iis parere, certè infidelibus Principibus est parendum in iis, quæ sunt Magistratus & Ciuilibus potestatis propria, Roman. 13. & ita etiam sentit Thomas in 2. 2. quæst. 10. Ac iubentur Iudæi fideles subiici Nabuchodonozori infideli Regi toties apud Hierem. 34, & 35. Sigebert. fol. 101. fac. 2. in Odone ait, sub Urbano, hanc nouitatem doctrinamq; hæreticam inductã, ne hypocritis Regibus parerent subditi. Epistola Leodiens. ecclesiæ scripta aduersus Paschalem 2. & quæ extat Tom. 2. Concilior. ait Hildebrandum, qui postea Gregor. 7. dictus est, primum autorem noui schismatis, dum lanceam sacerdotalem vibrat primus contra diadema Regis, & Imperatoris Henrici. 3. anno 1075. ex quo apparet damnamdam esse eorum sententiam, qui infidelibus regibus, hæreticis & scismaticis parendum esse hominib. Christianis negant, sed subditos liberant à iuramento fidelitatis: quod faciunt Rom. pontifices.

Quæsitum est vtrum omnes Magistratui subiiciantur in Ecclesia, & num vel Pastores Ecclesiæ, vel Doctores eorum iurisdictione eximantur? Respond. ex Paul. omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus. Quo loco annotat

annotat. Chrysoft. etiam Apostolos ipsos, quatenus ciues, subiici, pareréque Magistratibus debere. Nam & Cæsarem appellauit Paulus. Et Christus coram Pilato etiam infideli iudice stetit, vt docet Bernard. epist. 42. Apud Iudicum, quos vocant, secularium tribunal Cæcilianus, tempore Cōstantini Magni, à Donatistis accusatus est. Denique variæ extant Authent. Vbi siue de causis Episcoporum & monachorum ipsorum, ciuilibus siue criminalibus agatur, earum rerum cognitio pertinet ad laicos, ordinariosque Magistratus. Et noua est vsurpatio ista Pontificis Romani, qui se & suos à communi omnium aliorum foro immunes fecit, quicquid ex Esd. cap. 7. vers. 24. illi afferant.

Quæsitum est, Vtrum Imperatori Roman. Pontifex subiiciatur, & de eo anxie digladiantur Imperatores & Pontifices inter se, extantq; decreta pro vtrisque scripta. Pro Pontifice est tota dist. 96. Contra eundem est Can. Adrianus Papa: dist. 63. Allegat ipse Pontifex, spiritualis à nemine iudicatur. 1. Corinth. 2. vers. 15. & 4. v. 3. Sed hi loci planè à Pontifice Romano, corrumpuntur, & dixit Thomas generaliter & simpliciter fideles debere secularibus potestatibus obedire, in 2. 2æ. quæst. 104. Chrysoftom. in epist. ad Roman. cap. 13. Bernard. epist. 42. Si omnis anima est subdita, & vestra. Quis vos excipit ab vniuersitate? Sed, 1. Petr. 2. v. 17. totam hanc controuersiam definit, & subditum eum esse docet.

Sed quæsitum est in rebus Ecclesiasticis constitutendis, quæ sit Magistratus authoritas?
Respon. Distinguedum esse Magistratum, alius

A

Cap. 12. ETHIC. CHRIST.

enim est Fidelis, alius Infidelis, lupus & hostis Christi & Ecclesiæ. Hic nullo modo est in Ecclesiasticis rebus constituendis audiendus, vel admittendus. Quærit enim oues ut eas perdat, & quærit Christum, uti Herodes, ut eum perdat & interficiat, non ut adoret, Matth. 2.

Magistratus verò fidelis, pius, & Christianus, quia est utriusque tabulæ Dei custos, etiam ad rerum Ecclesiasticarum constitutionem admittendus, accersendus & audiendus est, non ut in suo nutu imperet, sed ut moderator. Id quod exemplo Dauidis, 1. Chron. 13, & seq. & Iosifæ & aliorum piorum Regum probatur. Sed & Theodosij, & Constantini Magni. Ergo quatenus est ouis & membrum Ecclesiæ, subiicitur Pastoretiam summus Magistratus,

Sed quæritur, Quæ qualisve sit eius in synodis autoritas. Resp. Non absoluta, sed

Nimirum ut {
Conuocet Synodum.
Moderetur conuocatam.
Sanciat edicto decreta Synodi.

Sed quæsitum est ecquam in ea vocem habeat. Respon. Deliberatiuam, uti cæteri & Episcopi: non autem Decisiuam, qualem tamen habet in foro, ut ex eius nutu & voluntate decreta pendant. In synodis enim sola Dei vox audiri debet, in qua præesse debet qui electus est à tota synodo. Actor. 15. & veterum synodorum exempla (ubi Episcopi electi præfuerunt, ut in Ephesina Synodo Cyrillus Alexandrinus, et si Theodosius aderat) idem docent.

Restat ut de tertia & quarta significatione dicamus. Tertia continet Patres ætate, quales sunt

sunt Senes, quibus ratione ætatis honor debetur, Leuit. 19. v. 32. exemplum sit puerorum Bethel, qui puniuntur quòd senem Elisæum irriderent. 2. Reg 2. & ait Callistratus in l. Semper. D. De Iure immunit. semper in ciuitate nostra senectus venerabilis fuit. Stobæ. λόγος 114. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 14. idem docent.

Quarta significatio continet Amicos & Benefactores, qui sunt honorandi & specialiter diligendi, 1. & 2. lib. Samuel. exēplo Davidis & Ionathæ. Nā ingratitude damnata est etiā Lege Dei, 1. Sam. 25. Ergo Superbia, Rebellio, Inobediētia atque Ambitio damnata est hoc præcepto.



CAP. XIII.

Sexti diuinæ Legis præcepti, quod est, Non occides, explicatio.

Sextum præceptum est, *Non occides*. Ac quidem quæsitum est, vtrum sit numero sextum, & in secūda tabula secundum, quod est consequens. Nā non videtur esse numero sextum. Nam Christus, Marc. 10. vers. 19. Luc. 18. vers. 18. & Paulus, Rom. 13. v. 9. collocant & enumerant post præceptum, Non mœchaberis, & ita erit hoc præceptum, *Non occides*, numero septimum, nō autem sextum. Facit in eam sententiam Philo, qui in expositione generali decalogi ait esse constituendum post præceptum, Non mœchaberis, ἐν τῇ δ' ἑπτά δέλω, ait, ὡς εἶτον γράμμα τῆς ἑστέρας. A. ij.